

= *Buecheler carm. epigr. n. 474, quod desinit sic: [ille arte]m digitis nummoque probare peritus, [ex ratione] suo cognomine dictus Paternus.*

7755<sup>a</sup> Iulia Felicissima Lucilio Victorino coniugi | optimo et innocentissimo, cum quo per | annos XVI semper bona vita bixi, de parvula | mediocritatem nostram digno feci, omnium | hominum sodalicii magister et hortator, | mire bonitatis et innocentie omo. Depositus | XVII kal. Aug.; hic artifex artis tessalarie<sup>1</sup> | lusorie.

*Romae (VI 9927 semel descripta saec. XVII). — 1) Tessellariae.*

7756

hoc hoc sepulcrum respice,  
qui carmen et Musas amas,  
et nostra communi lege  
lacrimanda titulo nomina.  
5 Nam nobis pueris simul  
ars varia, par aetas erat.  
Ego consonanti fistula  
Sidonius acris perstrepens

Hoc carmen, haec ara, hic cinis  
10 pueri sepulcrum Xantia[e] es[et],  
qui morte acerba raptus est,  
iam doctus in compendia  
tot literarum et nominum  
notare currenti stilo,  
15 quod (*sic*) lingua currens diceret.  
Iam nemo superaret legens,  
iam voce erili coeperat  
ad [om]ne dictatum volans  
aurem vocari<sup>1</sup> at proximam.  
20 Heu morte propera concidit  
arcana qui solus sui  
sciturus . . .<sup>2</sup> domini fuit.

*Coloniae Agrippinae, rep. a. 1643 in ecclesia S. Ursulae, ubi denuo prodiit anno 1901, litteris tertii potius vel quarti, quam secundi p. Chr. saeculi (Brambach 323; Klinkenberg ann. Bonn. 108/9, 1902 p. 440, Archiv f. Stenographie 1903 p. 3 cum tab.; vidi imaginem photographiam). Buecheler carm. epigr. 219. Carmen sepulcrale Xanthiae notarii vv. 9—22; postea litteris aliquanto minoribus additum similis carminis de Sidonio, qui conservus Xanthiae fuerat, principium. Tractavit O. Rubensohn Archiv f. Stenographie 1904 p. 2 et nuper ibid. 1905 p. 404 seq. — 1) Sic apographum antiquum; . . . ogari videtur esse in imagine photographica. — 2) Spatium vacuum (crucem hoc loco exhibet qui descripsit saec. XVII Crombach, quae picta tantum videtur fuisse sc. a Christianis qui lapidem adhibuerunt).*

*Conferendum est carmen Ausonii 'in notarium' (Auson. epigr. 414): Puer notarum praepetum sollers minister, advola etc.*